DE JUVENILIBUS THEODORI BEZÆ POËMATIS

EPISTOLA ad N.C.

Quâ Maimburgius, aliique Bezæ nominis obtrectatores accuratè confutantur.

Meliùs eſt plus probare aliquid quàm neceſſe eſt, quàm minus forſitan quàm negocio debeatur. Salvian. de Gubernat. Dei. lib. I.



AMSTELODAMI,

Apud HENRICUM DESBORDES, In de Kalverſtraet

cIↄ Iↄc LXXXIII.

Digitized by Google

EXtat ad æternam ignominiam Romanæ Sedis prodigioſus Libellus, qualis nunquam poſt homines natos inter impuriſſimos Ethnicos extitit, JOHANNIS DE LA CASA, Pontifici à ſecretis, Cameræque Apoſtolicæ Decani, Archiepiſcopi Beneventani, & in ditione Venetâ legati, de laude Sodomiæ conſcriptus rythmicè, quem Erhardus Snepſius oculis uſurpavit. Verè dixit Scaliger:

Roma, quod inverſo delectaretur amore,
Nomen ab inverſo nomine cepit Amor.

Vide

Vide mihi Joh. Bapt. Pozæ *inſignem laſciviam, quâ tantum ſibi indulſit, ut mollibus verborum deliciis, quibus Venus, Medea, Helena, Phryne, Thaïs apud antiquos inſigniebantur, B. Mariæ Virginis immaculatam conceptionem celebravit, in quo merito hæc notat Vargas. Similem profanitatem Poëtæ cujuſdam (Gaguini ni fallor) damnavit Iſaacus Waake* in Rege Platonico. *Purgent illi tam animum, quàm* Juuenalem, Perſium, Martialem, Virgilii quaſdam Eclogas. *Johann. Cunrad. Dieteric. Prolegom. in antiquit. Bibl.*

DE

DE JUVENILIBUS THEODORI BEZÆ POËMATIS

Epistola ad N.C.

NOn excurram in laudes Bezæ, ut nomen illius vindicem à calumniis, quas adhuc in illum conjiciunt malevoli. Neminem enim vivere exiſtimo, qui Virum fuiſſe maximum diffiteri audeat, niſi qui plane ſit excors, ac rerum omnium rudis. Quin & in vanum, mea quidem ſententia, laboret qui aggrediatur epiſtolæ modulo circumſcribere laudes Oratori facundiſſimo debitas, Poëtæ eximio, Critico ſagaciſſimo, accurato ac veraciſſimo Hiſtorico, Theologo pietate ſingulari ſummâ-

que doctrinâ conſpicuo. Quæ omnia Bezæ noſtro ſine controverſiâ conveniunt. Huic igitur ſolummodo curæ incumbam, ut quem tibi objectant, quemque tu viciſſim objectaſti mihi, ſcrupulum, quo pungi te atque ſtimulari ſignificas, ex animo tuo evellam: Atroci, inquis, atque incredibili plane convicio, audiiſti nuper proſcindi ac pene obrui Theodorum Bezam. Contendebant enim permulti eum potius Arii, quam Chriſti, quem tamen unicum agnoſcit ducem ac magiſtrum, veſtigia ſecutum, ſalaces versûs ſcripſiſſe. Id à te vero ſtatim pernegatum affirmas, exploſumque tanquam mendacium à maledicentiſſimo Bolſeco confictum. Numque conſulto feceris, quam primum te doceam injungis.

Obtempero lubens, mi N. ſummâque lætitiâ amplector quam mihi præbes occaſionem patrocinandi venerabili Bezæ, cujus adhuc ſolicitare

cineres

Digitized by Google

cineres nihil reformi. ant hyenis audaciores immaniores ſque adverſarii. Negatam à te doleo rem notiſſimam. Non modo quia tuam, ſive ſinceritatem, ſive doctrinam potuit iſtud in ſuſpicionem adducere: ſed inprimis, quia nihil magis comparatum judico ad augendam adverſariorum pervicaciam, quàm rem certam & exploratam inficiari.

Fateri igitur oportet, quod ipſe confiteri non erubuit Beza, cum viceſimum ætatis annum vix dum exegiſſet, eum versûs parum honeſtos compoſuiſſe. Atque illa ætas, ſi me meus non fallit animus, plus quam dimidium criminis partem abſtergit. Illo enim adoleſcentiæ privilegio gaudet, ut peccatis, ad quæ nos ipſa pertrahit proprio quodam ac nativo impetu, excuſationem ipſa quoque ſubminiſtret. Audi, sîs, Judicem integerrimum Thuanum, inquam, re magis quam nomine Auguſtum,

qui Auguſtiſſimam Navarræorum Reginam eo vel ſolo nomine inſontem pronunciat. *Margarita*, inquit, (*a*) *Franciſci Soror, Henrici Albretani Navarræ Regis conjux, fæmina omnibus ingenii & animi dotibus exculta. Ejus nomine fabellarum volumen, imitatione Jo. Bocatii editum circumfertur. Si tempora & Juvenilem ætatem, in qua ſcriptum eſt, reſpicias, non prorſus damnandum: certe gravitate tantæ Heroinæ, & extremâ vitâ minus dignum.*

Quo factum procul dubio eſt, ut qui ſuam Claudio (*b*) Imperatori exprobrabat ſocordiam, ætatem adjecerit ſocordiæ, quo juſtior evaderet graviorque contumelia: utque è contra Flaccus unam cauſatus fuerit juventam, ut (*c*) *celerum*, ſuorum *Jamborum* veniam à *Tyndaride* ſua impetraret. Hanc ipſam quoque ætatis

(a) *Elog. Thuan. ad ann.* 1549.
(b) *Sueton. in Claud.*
(c) *Horat. od. l.* 1. *od.* 16.

tis excuſationem adducit M. Antonius Muretus in juvenilium ſuorum patrocinium. (*a*) *Hoc autem*, inquit, *quidquid erat libelli, juvenilia inſcribere placuit, ut ſi quid fortè interdum laſcivius dictum eſſet, ipſa nos apud Seniores excuſaret inſcriptio.* Illam demum eandem ob cauſam rationem adhibet Erythræus, Italus ſcriptor veteri Latio non indignus. (*b*) *Satis*, ait, *jam ſatis, quod interdum pudeat ac pigeat, luſi. Sed quod ſtultè olim feceram adoleſcentiæ excuſatione defendebatur. Videtur enim conceſſu omnium dari illi aliqui luſus ætati. Verum, ſi cui capillus eſt albus, ea commiſerit quæ ſenectus fugere facta magis quam ſectari ſolet, omnem ſibi ſpem veniæ præciderit. Quid enim vacationem adoleſcentiæ deprecabitur? Perfugiis utetur ætatis? Conceſſa prope omnibus jura proponet? Ego, nec inficior, quod in adoleſcentia perperam*

 feci.

(a) *Præfat. ad Juvenil. ſua.*
(b) *Jan. Nic. Erythr. epiſt. ad Div. l. v. epiſt. 7.*

ſeci populo viritim potuit diſpertiri. Propterea æquior ſum adverſus omnes adoleſcentes judex.

Perfacile erit quo Beza impetitur telum in obtrectatorum capita rejicere, ſi eam ætati adjeceris Religionem quam profitebatur quo tempore mileſias, ſi velis, ſuas & ſotadicos versûs exire in publicum ſivit. Quamvis enim à teneris fuiſſet cognitione veritatis imbutus ope Wolmarii, compertum tamen eſt omnibus eum per aliquod tempus palam adhæſiſſe Romanæ Eccleſiæ, variis irretitum laqueis, è quibus extricare ſeſe, utut niteretur, non levis erat negotii. (a) *Cum mihi*, inquit, *& juveni, & in meis otio, pecuniâ, rebus denique omnibus potiuſquam conſilio abundanti, Satanas omnia illa impedimenta derepente objeciſſet, fateor me inani illarum rerum ſplendore & vanis blanditiis ita fuiſſe pellectum, ut me totum huc*

(a) *Epiſt. ad Melch. Wolſ Confeſſ Chriſt fid. praf.*

huc & illuc abripi facile paterer. Patet etiam ex ipſius elegiâ quartà, & epigrammate de ſua in Candidam & Audebertum benevolentia, vixiſſe illum, dum Juvenilia ſua ſcriberet, medios inter parentes, tum Vezeliis, tum Pariſiis, ubi nullus degere Reformatus, ſine capitis diſcrimine poterat. Nec valdè profecto mirum videri debet cupidini juvenilibuſque voluptatibus plus ſatis indulſiſſe adoleſcentem, qui incidiſſet in ea tempora, in quæ non poſſis aciem tantiſper defigere, quin ſubito exclames, ô tempora! ô mores! Corruptiſſimus clerus cui ſeſe aliquatenus addixerat, formæ elegantia, divitiæ, aliaque id genus malorum irritamenta veneris ſtimulos ſubdere poterant, vel optimæ indoli, cui ab ætate robur, vel ab experientia nondum acceſſerat.

Deinde vero, oppido perquam falluntur qui certum de hominibus

fieri judicium poſſe, vel ex ſcriptis illorum, vel ex oratione exiſtimant. Subdola enim res eſt mens humana. Nec mentis imperio quidquam æquè ſubjacet ac ſtylus & lingua. Cuilibet licet quidquid voluerit ſcripto vel oratione promere. Senecam mitto, qui vim omnem præceptis ſuis vitæ inſtituto detraxit. Miſſum quoque facio Salluſtium, quem (a) *hominem nequam*, vocat Lactantius, *quod ſuam ipſe ſententiam vitæ pravitate diſſolverit.* Utque trajecto longiſſimo intervallo cito progrediar ad recentiores, nihil hic de Mureto loquor, qui beatorum omne prope choragium vario carminum genere celebravit, beatorumque virtutes exemplaque vario criminum genere confodit. At rem audì hac de re plane inauditam. Non ignoras fortaſſè quæ fuerit ſuperiori ſæculo Chriſtophori Longolii inter eruditos exiſtimatio. Illius, quod perquam paucis

(a) *Lactant. lib. 2. qui eſt de orig. error. cap. 2.*

Digitized by Google

paucis contigit, ambiére ſimul patrocinium Romanus Pontifex, quique inſtauratam à Luthero Religionem in Germaniâ ſectabantur. Atque hoc, vel ſolum, indicio eſſe poſſit quantam ille ſibi apud omnes eruditionis & eloquentiæ laudem comparaſſet. Quamvis autem ea ſit Religionis indoles, ut invictum mentibus horrorem incutiat eorum omnium quæ ſunt ab ipsâ tantiſper aliena, illius tamen legibus ita ſeſe ſubduxerat Longolius, ut ſuſpenſus & incertus penderet cui ſeſe parti adjungeret. Tanquam de re actum fuiſſet, quæ nihil ad ſalutem, nihil prorſus ad honorem pertinuiſſet. (*a*) *Solicitor*, inquit, *crebris ex Germania literis, ut M. Lutheri cauſam ſuſcipiam: ab urbe Româ nuntiis ut hominem ſtylo perſequar. Miſſi ſunt utrinque ad me commentarii pleniores, pollicitationeſque ejuſmodi, ut omnino ſcripturus ſim, ſi id ſine inſtitutæ ſtudio-*

(a) *Chriſtoph. Longol. epiſt. lib 2 ep. 17.*

ſtudiorum noſtrorum rationis incommodo præſtare poſſim &c. Commentabimur quidem aliquid, ne ſoli ceſſaſſe videamur. In utram partem? In utramque ſcilicet, quo certius totâ de re judicare poſſimus: quanquam quo me, vel grati animi officium, vel tot ætatum gentiumque conſenſus vocet, non ignoratis. Et certe durior eſt Martini cauſa, quem & Pontifex Maximus divis omnibus jam defixerit, & Cæſar ipſe nuper hoſtem judicavit. Sed nondum tamen bonorum omnium judicium perdidit. Germania certè ad eam hodie tuendam multo erectior eſt quam antea unquam fuiſſe exiſtimetur. In Pontificis cauſam ſi deſcendo, id periculi eſt, ne me potentioribus videar venditare, atque eorum etiam flagitiis auctorem præbere: In Lutheri, ne contra Religionem ſentire & facere aliquid exiſtimer, qui hominem damnatum defendam. Sed cumprimum conſtitutum aliquid habuero, faciam vos fortaſſe certiores. Quid, quæſo, eſt conducti-

tium

Digitized by Google

tium & venalem habere calamum? Quid ſuam licitari conſcientiam, ſi iſtuc non ſit? Patet omnibus hiſce exemplis viri non eſſe ſapientis auctorem, cujus mores non habeat perſpectos, vel damnare, vel inſontem pronunciare, ex ſolo ſcriptorum illius teſtimonio. Si vero jam rem eandem doceri cupias exemplis aliis quæ propoſitum noſtrum propius attingant, eo tibi factum ſatis. Numquid Solon (*a*) omnium ævi ſui mortalium ſapientiſſimus à petulantibus carminibus ſeſe abſtinuit? Nonne Plato, *ille ſublimis aper Philoſophorum & columen*, ut cum Arnobio (*b*) loquar, amatorie luſit? Nonne Hadrianus Imperator Majeſtatem & amorem in unâ ſede collocavit, verſuſque laſcivos compoſuit? Cumque idem Madaurenſi Philoſopho, à quo illud accepimus, objiceretur crimen, re-

 ſpon-

(a) *Joh Wouver. epiſt. ad Joſ. Scalig Petr. arbit. Satyr. præfix.*
(b) *Arnob advers. Gent lib. 1.*

ſpondiſſe fertur, *in vitâ ſe Philoſophum, in Verſibus amatorem eſſe.* A quo L. Apuleii reſponſo non alienum valde eſt quod de ſe ipſe perhibet Beza. *Hic igitur*, inquit (*a*) Wolmarum alloquens, *à me intra annum ætatis viceſimum perſcripta fere ſunt omnia illa poemata quæ aliquot poſt annis edidi, & nomini tuo inſcripſi, in quibus etſi nonnulla ſunt paulo licentioſius ad Catulli videlicet & Naſonis imitationem ſcripta, tamen minime tunc verebar, ac ne nunc quidem vereor, ne qui me tunc noverunt qualis fuerim, mores meos ex fictis illis luſibus æſtiment.*

At vero dices (illa enim ſeſe ſtatim in animum ingerit difficultas) ſi mores inter & carmina Bezæ parum conveniret, cur ſuum admovebat animum ad id ſcriptionis genus, à quo abhorrebat illius conſcientia, quodque labem non exiguam poterat ipſius famæ adſpergere? Splendida

(a) *Epiſt. ad Melch. Wolmar.*

da ſane difficultas, & omnino ad ſpeciem rationi conſentanea! Verum, quoties peccat improvida & ὑπερφίαλος Juventus? Quoties exiſtimationis pompam ac famæ fumum ſequitur? Cumque nihil prope ſit, circa quod magis verſetur poëſis, & in quo ſæpius ſeſe Poëtæ exerceant, quam in Libero Patre & Regina Cnidi Paphique celebrandis, illi præſertim qui odas, elegos & epigrammata ſcribunt, ad quæ poëmatum genera Bezæ ingenium ferebatur, condonare ipſi æqui omnes judices debent, ſi quid iniquis bifidi montis legibus pro ætate ſua indulſerit.

Abſit ut indebitis velim laudibus deprædicare quod ipſe vituperio dignum judicavit Beza: ſed ficta fuiſſe pleraque iſta omnia, ſuaſque tantummodo Muſas colendi gratia ab eo ſcripta, præter ipſum Bezæ teſtimonium, plurima profecto ſunt quæ in dubium revocare non ſinunt. Pri-

mùm quidem Theodori veri τῦ Θεῦ δώρυ Bezæ ad maxima quæque ac cœleſtia adſurgens ingenium: tum etiam ſana, caſta ac plane Euangelica doctrina quâ tinctus à Wolmario Præceptore ſuo fuerat. His adde ſummum literarum ſtudium, quo fortior nullus clypeus ad retundenda obterendaque ignita cupidinis tela, teſte (*a*) Theocrito rerum illarum judice minime inexperto: mores denique honeſtos, quos nunquam ipſa carpere auſa fuiſſet obtrectatio, ſi melius ipſe ſibi Beza conſuluiſſet, conceſſiſſetque illi ætas nequitiam invidiamque ſæculi melius adorari. Quin, & id ipſum demonſtrant Bezæ poëmata, quod paradoxo ſimile videri queat. Si enim amore captus revera fuiſſet, vel ſaltem ſi tanto ſuum amicæ affectum ſignificandi deſiderio arſiſſet, numquid Latina adhibuiſſet poëmata? Nonne gallicas potius

(a) *Theocr. Eid.* 2.

Digitized by Google

potius Muſas adiiſſet, quas inter & Candidam aliqua intereſſe conſuetudo poterat, quaſque tam ſecundas expertus ipſe ſæpe fuit, vel etiam ſortaſſe fuerat? Nec illud Hercle prætermittendum, quod eo ipſo tempore quo tam fervidos ſpirare amores videbatur, (*a*) fœminarum modeſtiam, quæque maxime ſunt extinguendis amnis ignibus idonea, ſuis ornavit præconiis. Illud enim, ſi rem capio, quod volumus ritè comprobat. Nam ſi veneris œſtro fuiſſet revera percitus, ab iis proculdubio laudibus ſibi temperaſſet, quæ cedere potuerant in veneris candidæque adeo ſuæ dedecus.

Si parvi faciendum exiſtimes quod ipſe in ſui patrocinium profert teſtimonium Beza. Si te omnes iſtæ non permoveant rationes, adducam tibi teſtem locupletiſſimum, & in quem nulla cadere poſſit ſuſpicio. *Stephanum*,

(a) *Epitaph. Cathar. Terea Aureliani Virginis.*

num, inquam, *Paſchaſium*, qui Romanis partibus plurimum, minime vero affectibus favebat, quibus ſeſe plebs tradere glorioſum ducit ac pium, quique præterea doctus fuit, hiſtoriæque ſui ſæculi callentiſſimus. Si non graveris ipſum audire loquentem, accipias primùm, accenſendum eſſe Bezam honeſtis pudiciſque ſcriptoribus, tum vero etiam plurimis illius ævi generiſque Poëtis ſolemne fuiſſe ſimulatis ludere amoribus, fictiſque, in morem Bezæ, jocari fabulis. (*a*) *Si quid*, inquit, *novi interdiu occurreret, materiam ſubminiſtrabat poëmati quod noctu pangebam, dieque inſequenti ſcripto mandabam. Multa iſtiuſmodi cum juvenilibus aliis ſimul collegi, ac Publici juris feci. Nec profecto facti pœnitet. Cur enim pœniteret, cum talibus ſeſe inventis facundiſſimus ille Plinius ſecundus reliquoſque homines*

(a) *Eſtien. Paſq dans le* 8 *liv. de ſes lettr.* 1. 4. *&* *diſquiſ. l.* 6. *c.* 12.

mines oblectaverit? Ferebat illud ſæculum, quin & ſuperiora inferioraque, ut quæ nunc fiunt laſciviâ longe ſuperarent epigrammata. Velut ex Catulli, Virgilii, Martialis, Auſoniique poëmatis facile colligitur. Quo factum ut carminum ſuorum probra ac dedecora vix, ac ne vix quidem potuerint excuſatione ulla diluere. Quid enim Catullus?

Nam caſtum, *inquit*, eſſe decet pium Poëtam
Ipſum, verſiculos nihil neceſſe eſt.

Illiuſque mentem ac ſententiam ſecutus Martialis:

Innocuos cenſura poteſt permittere luſus:
Laſciva eſt nobis pagina vita proba.

Cujus prioris verſus auctorem fuiſſe Plinium aſſerit in eidylliis ſuis Auſonius. Unde patet ipſum ab iſtiuſmodi luſibus nequaquam abhorruiſſe. Eandem quoque apud eundem Auſonium excuſationem reperies:

Noſtra

Noſtra ſimul certant variis epigrammata nugis;
Stoïcus has partes, has Epicurus agit.
Salva mihi veterum maneat dum regula morum,
Ludat permiſſis ſobria muſa jocis.

Fallebatur quidem ille. Quantumvis enim ſapiens doctuſve fuerit, excidêre tamen illi plurima, quæ ſilentio premere longe ſatius fuiſſet quam ſcripto promere. Sed à Feſcenninis iſtis verſibus ſibi temperarunt verecundiores poſteris. Atque in eorum locum alia ſuffecêre carmina, quibus celebrandas quaſdam fœminas ſuſcipiebant. Tales autem fuêre Matullus, Politianus, Pontanus, Sannazarius, Johannes ſecundus, Beza, *Buchananus, Scaliger, aliique. Illamque ſcilicet ob cauſam dixit Marullus in primo Epigrammatum ſuorum libro:*

Sit

Sit procul à noſtris obſcœna licentia ſcriptis,
Ludimus innocuæ carmina mentis opus.
Utque nec arma virum, nec magni orientia cœli
Signa, nec immenſum mundi aperimus opus,
Quid pluat, unde homines, quæ vis maria inficit alta,
An Deus, an Manes, an Phlegetontis aquæ:
Sic juvat in tenui legem ſervare pudoris,
Et quæ non facimus, dicere facta, pudet.
Sit ſatis auratos crineis laudare Neæræ,
Sit ſatis in duram multa queri Dominam,
Et facere iratum ſævo convicia amori,
Nec niſi de Scythica credere rupe ſatum.

Poſtre-

Digitized by Google

Poſtremorum a) horumce Poëtarum inſiſtens veſtigiis, amicam adfinxi mihi, quæ illuſtrandis inſerviret reliquis meis Epigrammatis. Hactenus Paſchaſius.

Sentio equidem mi N. ad nimiam excreſcere prolixitatem epiſtolam meam. Sentio, inquam, ac tui potiſſimum cauſa doleo. Verum, tanto agmine rationes una cum verbis, tantoque impetu ſtylum ſubeunt ad perſequendum viri maximi patrocinium, qui Dei, ſalutiſque adeo noſtræ cauſam tam ſtrenue tuitus eſt, ut penes me non ſit orationem in compendium cogere, etiamſi maxime velim. Tu tuos igitur pauliſper collige Spiritûs, mihique dignare ignoſcere, qui id religioni minime ducam facere quod factitarunt novi ac veteres. Neque enim illi, ubi res poſtulavit, abſtinuêre à longioribus epiſtolis.

Dixit-

(a) Ie me ſuis composé à l'imitation de ces derniers, m'eſtant donné une maiſtreſſe &c.

Dixitque omnino appoſite Ammianus tunc ſolummodo laudandam eſſe brevitatem, (a) *cum moras rumpens intempeſtivas, nihil ſubtrahit cognitioni juſtorum.* Redeo jam ad propoſitum.

In ea non ſum ſententia, ut arceri debere à veterum Poëtarum lectione juventutem credam. Seque magis ac magis in ea ſententia obfirmat animus, ex quo lecta à me eſt Thomaſſini methodus. Caute tamen tradendam huic ſtudio eſſe cum Viro illo egregio erudito exiſtimo. Nam ad hauriendos auctorum veterum mores, eorum præſertim qui cæteris auctoritate & elegantia præſtant, maxime pronus eſt animus noſter. Dicereſque ſæpiſſimè infundi in lectorum animos ſcriptorum ingenium. Si quid potiſſimum ſit quod mentem ſingulari quodam lumine aut acumine percellat, nos illud ſtatim ad ſimile quidpiam tentandum impellit.

Inde

(a) *Ammian. Marcellin. hiſtor. l. 15.*

Inde fit ut qui Poëtas tractant in Poëtices amorem ſenſim rapiantur, cupiantque tandem & ipſi Poëtæ evadere. Theodoro id noſtro accidit, quem factum à natura fuiſſe Poëtam fateatur oportet, qui vel tantillulum ad rem poëticam ſapiat. Cumque Catulli ac Naſonis leporibus, nec ſane immerito, præ cæteris omnibus caperetur, illos quoque præ cæteris omnibus imitari & exprimere laboravit. Non itaque pravo, quod nuſquam fuit, Bezæ ingenio tribuenda ſunt juvenilia illius poëmata, ſed ipſis potius Poëtis quos frequenti lectione verſabat. Neque illud vero ipſi vitio vertendum eſt, cum Ariſtophanem Poëtam ſpurciſſimum delicias olim ſuas feciſſe B. Chryſoſtomum ſint qui perhibeant Dixitque revera M. Antonius Muretus, ſua fortaſſe inſtigante ipſum conſcientiâ:

Quiſquis (a) verſibus exprimit Catullum
Raro moribus exprimit Catonem.

Sed illud nunquam fieri non auſus eſt affirmare. Non ita, mi N. rejici in veteres Poëtas Ignatii Loïolæ culpa poteſt. Nulla ſiquidem eorum cognitione imbutus, imo ne tinctus quidem erat. Perpaucos tamen de rebus ad pietatem ſpectantibus verſus compoſuit, cum juvenilem Bezæ noſtri ætatem longe ſuperaret. Quin & etiam licet ex Buhurſii (b) verbis aſſequi ſolum amorem, qui *eos ingenii* fuit appellatus, rude & impolitum illius acuiſſe ingenium. Nam & ſuam quoque habuit Candidulam *omnium (c) natus ſaluti gentium fortiſſimus Ductor.* Amori & gloriæ ſerviebat heros, quem (d) *evaſurum aliquando in mundi inſtauratorem, in ſucceſſorem Pauli,* in

(a) *Epigr. in Noall.*
(b) *Buhurſ vit. Ignat.*
(c) *Joh. Bapt. Ferrar. orat. 23.*
(d) *Buhurſ. ubi ſupr.*

Digitized by Google

in Apoſtolum, qui lucem Evangelii deferret ad gentes à fœdere Dei ſemotas, addictaſque idolorum cultui præſagiebat ille, cui intimæ cordis penetralia introſpicienda præbebat. Martis ac Veneris ignibus totus æſtuabat qui *re quam* (*a*) *nomine ardentior erat Ignatius*, quique *poſt inflammatas terras cœlum quoque illuſtrat*. Viden' ut ad Bezam accedat Jeſuïtarum, ne dicam omnium cœli Pontificii Beatorum coryphæus, Ignatius? Quid, ſi fuiſſe Bezam ab illo hac in re ſuperatum dixero? Imo fuit. Teſtem appello Buhurſium, qui vitam eum duxiſſe nihilo ſanctiorem refert, dum res ſanctas numeris perſequeretur. Cum è contra amatorii, quos Beza fundebat, verſus ipſius pietati nihil detrimenti afferrent.

Alterum accipe exemplum, Ignatii, Bezæque adeo noſtri exemplo non omnino abſimile. Meis non utar, ſed

(a) *Ferrar. ubi ſupr.*

Digitized by Google

ſed Erythræi, quoniam elegantioribus non poſſum, verbis. Ita loquitur ille de Marcello Macedonio. *Primo, (a) ſicut nova Siren, hoc rerum humanarum mari navigantibus infeſta, viſus eſt illecebroſis amorum carminibus velle eos perdere, & in profundum æternæ mortis abſtrahere. Sed poſtea divina ope ab hujus procelloſi, tumidi & importuoſi pelagi fluctibus abreptus, & tutum in locum adductus, pleniori plectro ac ſuaviori voce ſuperum laudibus referendis eos, quos antea inſtituerat perdere, in ſalutis portum eſt conatus arripere.* Poſſem hic quoque *Caſam* adducere, famoſum illum Beneventanum Archiepiſcopum, quem minime puduit nefarium ſcelus encomio illuſtrare non minus nefario. Sed nihil Bezæ noſtro cum id genus hominibus.

Quandoquidem vero de juvenilibus agitur, fac brevem inſtituamus Bezæ noſtri cum M. Antonii Mureti

(a) *Jan. Nic. Erythr. Piriacoth. part. 1. cap. 56.*

juvenilibus comparationem, ut pateat omnibus quantopere interſit juvenem inter qui fervidæ ætati nimium concedit, ſui potiſſimum ſæculi moribus abreptus, aliumque, qui excuſſo pietatis ac Religionis jugo, totum ſe tradit nequitiæ, ſuamque impietatem oſtentat. Nihil eorum repetam quæ ſupra de Bezæ amoribus adducta fuere. Agnoſco lubens illum non ſemel concitatiſſimum verſibus, id eſt ludis ſuis, affectum prodidiſſe. At fac ludi non ſint, neque dicere de illo, quod de Petrarchâ Bellarminus, liceat: *Luſit* (*a*) *aliquando elegantiſſimis verſibus amores ſuos, ſeu veros, ſeu confictos, ut haberet materiam exercendæ muſæ.* Unam & alteram ambiguam dictionem ſi ſuſtuleris, perpauca offendes quæ offenſioni cuiquam eſſe poſſint. Non ſic inoffenſo pede decurres Mureti juvenilia. Excuſſo enim ille abjectoque

(a) *Bellarm de Scriptor. Eccleſiaſt. ad ann.* 1350.

Digitized by Google

jectoque omni pudore ſpurciſſimis verſibus ſententiiſque carmina ſua commaculavit, quibus meam me conſpurcare epiſtolam, nec pietas noſtra patitur, nec honeſtas.

Ingenuam ubique indolem patefacit Beza. Nihilque deprehendere eſt in illius Poëmatis reprehenſione dignum, præter virentis juventutis, ac luxuriantis ingenii quendam impetum. Sed profligatiſſimæ indolis certa indicia præbet identidem Muretus. Adeo ut penes ipſum non ſit ſuam diſſimulare ad omne vitiorum genus propenſionem. Hiſce enim verbis medicum quemdam affatur, nomine *Cruſelium*:

Ut (a) tibi læta viro gratetur ſoſpite conjux,
Ut pene amiſſo turba minuta patre.
Ut te fama ferat candentibus aurea pennis
Hippocrati Coo Phylliridæque parem.

(a) *Eleg. 7. ad T. Cruſel. medic.* B 2 At

At ſine me, qui ſum ſectando natus amori,
Inter inexhauſtas vivere nequitias.
Me diſperdat amor, ſemper me torqueat, inque
Corde meo accenſas ventilet uſque faces.

Nec vino magnus Theodorus, nec comeſſationibus indulgebat. Etenim Lyæum nunquam celebrat, quem nihilominus quam Venerem colere, cuique haud ſecus ac ipſi Apollini accepta referre ſua Poëmata Poëtis ferme omnibus ſolemne eſt. At vero Muretus ſuam ubique eructat vinolentiam, ſuamque venditat in ſcurrarum & paraſitorum arte peritiam.

Sit, inquit, (*a*) *vini tibi cura prior; niſi nobile vinum eſt,*
Et jocus à menſis, & lepor omnis abeſt.

Tunc

(a) *Epigr. Rodolph. Condomio à quo ad cœnam invitatus fuerat.*

Tunc cibus invito lenteſcens creſcit in ore,
Et levius ferre eſt quam recreare ſitim.
Sin contra adfuerit generoſi copia Bacchi,
Vix capit undantes vel domus ipſa jocos.
Tunc & convivæ permutua pocula certant:
Hic annos Dominæ condit, at ille ſuos.
Et veteres memorant flammas & carmina dicunt,
Et laudant cœnæ concelebrantque patrem.
Quare agedum memori primum hoc ſub mente teneto,
Si tibi cura mei, ſit tibi cura meri.

Nitidum ſane ſcripſit, ex more ſuo, atque elegans epigramma, quo oſtenderet *curandum eſſe hyemis tempore cuticulam.* Sed nonne, hæc vel

ſola ἐπιγραφὴ ſapit Epicuri de grege porcum? Numquid magis Epicuræum fingi poteſt hocce dyſticho?

Ferto, age, ferto huc vina puer, cyathoſque capaces,
Ante focum menſas explicuiſſe juvat.

Sed omnibus demum, quæ fingi in hanc rem poſſunt, ſcurrilitatis laudem præripit ode ad *Nicolaum Deniſotum Comitem Alſinoum* plane ſybaritica.

Bacchus Poetas & facit & fovet:
Bacchus Poetarum ingenia excitat:
Bacchus novem præſtat puellis,
Et melior potiorque Phœbo eſt.
Ter terna quiſquis pocula ſumpſerit
Dulcis falerni, ſentiet hic ſibi
Calere divino furore
Carmina ad ejicienda mentem &c.
———— ades, mecumque plenis
Hic Cyathis, Nicolaë, certa.
Miranda ſeris carmina poſteris
Uterque loto gutture concinet.

O dulce

Digitized by Google

O dulce tormentum! ô gravatis
Certa quies animis Lyæe!
Quænam imperiti pocula quærimus
Vocalis undæ? Quod bifidi duplex
Montis cacumen ſomniavius?
Quam petimus fatui Hippocrenen?
Hæc Hippocrene eſt: unicus hic liquor
Vates ſtupendos efficere evalet.
En, par pari gratus repende:
Hoc ego te cyatho ſaluto

Quid, amabo, (a) *Deo cum vino eſt, Veneri re proxima, nervos omnium debilitante virtutum, verecundiæ, pudoris, & caſtitatis inimicâ?* Vides, ὦ φιλοφίλτατε, ut rem veneri proximam vinum dixerit Arnobius? unde factum proculdubio eſt ut hircos animalia ſalaciſſima, Baccho comites addiderint veteres mythologi. Quare cum vino Beza tam parum faverit, ut ex Poëmatis ſuis juſſerit exulare, parum ſe quoque veneri ſtuduiſſe ar-

(a) *Arnob. adverſ. Gent. lib. 7.*

gumento ſplendidiſſimo comprobavit.

At enimvero accipe quod ſententiam noſtram magis ac magis firmet, rationem ſcilicet quâ vinarium iſtud crimen excuſat Erythræus in Mureto ſuo, quem ſupra ſydera extollit. *Crimen iſtud*, inquit (propter quod ſcilicet incendii periculum Toloſæ ſubierat, quod ſuo indigitare nomine non audet) (a) *illudque, quod in Gallia hominem occiderit, & interdum vino ſe ad ebrietatem oneravit, ſi vera forent, poſſet aliquis juventutis excuſatione defendere.* Deum immortalem! Ebrietatem, quam in juvenibus intolerabilem credidit Plato, quamque & in ipſis ſenibus turpem & execrabilem judicant viri probi, homicidium ſolo expiandum homicidæ ſanguine; Vetitum à natura cum mare concubitum excuſare poterit in Mureto juven-

(a) *Jan. Nic. Erythr. Pinac. part. 1. cap. v. 4. & capp. 85. & 94.*

juventus: amatorios autem verſus in Beza non poterit!

Nihil præterea quidquam invenient rigidiſſimi Catones quod ad blaſphemiam aut impietatem accedat in juvenilibus Bezæ Poëmatis, quem ideo perduxit Deus ad provectiſſimam ſenectutem, quo juveniles lapsûs eluendi copiam illi faceret. Sed Muretus, ejecto evulſoque, ut ita dicam, ex imis præcordiis Dei timore, ſummum rerum arbitrum ementito & adſcititio nomine, poſtquam more Satyrico pravis hominum moribus genuinum infixit, ita ridet ac laceſſit.

Ringitur (a) interea populus miſer, & prece multa
Nequicquam ſurdus divorum verberat aures.
Audiſne hæc, inquam, magni pater Herculis? Audis?
Audiſne? an dormis? an Nectaris ebrius hauſtu

(a) *Satyrar. libell. Satyr. 1.*

Exerces poſitis genialia tempora curis?
Non aliter noſtri. Similes fortaſſe tueris.

Fruſtra igitur Muretus, quod omnium pene Atheorum perſugium eſt, (*a*) probare in ſui gratiam inſtituit quoſdam habitos eſſe impios, qui ex omnibus popularibus ſuis longiſſime ab impietate abeſſent. Eſto enim, viri pii fuerint, ſancti etiam, ſi lubet, & divini Socrates, Diagoras, Theodorus Cyrenaïcus, & Evemerus Agrigentinus. Impium & ſacrilegum fuiſſe Muretum ſemper contendam, qui divinum ſupremumque numen, mutato nomine, tantâ afficere contumeliâ auſus fuerit.

Nihil miror dixiſſe Sapphon illum eſſe ἴσον θεοῖσι, qui ſuæ poſſet amicæ aſſidere. Nîl miror id ad ſuam quoque traduxiſſe Catullum, qui ſciam quàm abjectè de diis ſuis ſentirent & loquerentur Ethnici. At horrendum plane

(*a*) *Variar. Lect. lib. 10. cap. 17.*

plane eſt, diriſque omnibus devovendum, dicere auſum fuiſſe hominem ſacro tinctum baptiſmate, non jam Deo parem, ſed & ipſum Deum eſſe; quem *Margaris* ſua ſuo dignaretur amplexu. Nîl penſi habuit Muretus eò ſacroſanctam tremendamque Divini Numinis Majeſtatem devolvere. En tibi teſtem ipſummet Muretum:

Quem (a) tu cunque ſemel blando adſpectaris ocello,
Nî ſubitâ exiliat lætitiâ, lapis eſt.
Cui vero hæc etiam dederis libanda labella,
Hunc ego felicem terque quaterque voco.
At ſi quem complexu tuo dignare cubili,
Is non jam felix, Margari, ſed Deus eſt.

Quod autem rei caput exiſtimo, cum iſtas vomeret ſpurcitias Muretus, non

(a) *Epigr. ad Margar.*

non adoleſcens, ſicut Beza, ſed provectior erat. Nec levibus hæc ratio nititur conjecturis. Ipſe enim libellum ſuum à ſe *Juvenilia* inſcriptum dicit, non quod juventutis ſuæ fœtus eſſet, ſed ideo tantum, (*a*) *ut ſi quid fortè interdum laſcivius dictum eſſet, ipſa* illum *apud ſeveriores excuſaret inſcriptio.* Conſtat etiam illud ex ætate quâ deceſſit Muretus cum eo anno collata, quo æternis digna tenebris illius juvenilia fuêre in lucem emiſſa. Lucem enim vidit liber ille anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quinquageſimo tertio. (*b*) Obiit autem Muretus anno ejuſdem æræ milleſimo quingenteſimo octogeſimo quinto, cum annum ageret ſexageſimum. Annum igitur octavum ſupra viceſimum agebat Muretus, cum ſua ederet juvenilia, ſuperabatque jam tum Lucani Poëtæ ætatem.

Dubi-

(a) *Præfat. ad juvenil.*
(b) *Jan. Nic. Eryth. Pinac. part. I. cap. V.*

Digitized by Google

Dubitare quoque hac de re non ſinit ſtylus illius ſubactus, nec nitidus modo & egregie latinus, concinnis aptisque Epithetis, ſententiis, ac nativo quodam lepore, ubi res poſtulat, exſurgens; ſed quâdam etiam quaſi maturitate & æquabili rerum comprehenſione inſignis. Illud inſuper liquidò demonſtrat vini nimius atque adoleſcentibus inſolens amor. Quin & hoc ipſe expreſſis pene verbis innuit Muretus:

Præteriti (a) vobis nimium conceſſimus ævi:
Jamque dies mores poſtulat iſta novos.
Nunc juvat & rerum cauſas tentare latentes;
Inviaque ignavis per loca ferre pedem,
Induere & mores contracta fronte ſeveros,
Atque puellares ſpernere blanditias.

(a) *Epigr. ad Amores.*

Noli autem exiſtimare fixum ideo ratumque animo habuiſſe Muretum anteacta ſcelera ſolidâ ſeriâque ad virtutem converſione expungere. Mimum enim agebat tunc cum ſe Philoſophum præſtare nitebatur. Ita enim ſcurriliter pergit eloquens ille atque eruditus nebulo:

Hæc loquor: At ſi me placidis ſpectarit ocellis
Quæ fugat adſpectu nubila cuncta ſuo,
Quàm vereor ne mox mihi multa & magna locuto
Omnia cum faſtu fortia verba cadant!

Habemus ergo confitentem reum, illumque qui dum adverſus ſemetipſum legem dicit, Bezæ noſtro ſimul & eâdem operâ patrocinatur.

Quid hic jam comptulos memorem δακτυλωνυχ, ἀργοκωμήτας Sacerdotulos, qui mulierum tribus palam ambiunt? Quid mollicellos venuſtulóſque

hoſque Abbatulos, ad flagitia quævis vidente ac ſtupente multitudine profuſiſſimos, qui Candidulas ſuas per fora, per compita, perque theatra circumducunt, quique, ubi Epiſcopati mitrâ inſignes poſtmodum incedunt, Principes Eccleſiæ palam audiunt, geſtiuntque videre plurimos ad genua ſua provolutos, acclamantes vetus illud προσκυνῶ σε? Miſſis illis omnibus, adſurgamus, ſi lubet, ad altiora, iiſque adverſarios premamus exemplis, adverſus quæ ne hiſcere quidem ipſis integrum ſit. Quis neſcit ad virginem ſcribentem de cuſtodiendâ virginitate Hieronymum ea narrare quæ ferre vix poſſint oculi minime virginei? Quem latet auguſtum illum veterum Theologorum apicem Auguſtinum partem vitæ ſuæ non exiguam nefandis amoribus contriviſſe? Cui non eſt compertum Dei delicias Davidem juvenilium ſuorum delictorum veniam comprecatum fuiſſe?

Vera

Vera quidem ſunt iſthæc omnia, oggeres, mi N. ſed qui ſequutus eſt peccantes viros ſanctiſſimos, ſequi etiam debuit pœnitentes. Herbam ſcilicet hac ratione porrigis mihi, deſeriſque omnino cauſam adverſariorum. Neminem enim, qui in Bezæ ſcriptis, ne in re dicam literaria, non ſit plane hoſpes, fugere poteſt illum juvenile ſuum crimen non una ratione diluiſſe. Non una, inquam, ratione. Quid enim eorum omiſit quæ veniam impetrare ab immaniſſimis hoſtibus mereantur? Ad concelebrandas Dei laudes eam convertit Poëſin, quam amicæ olim ſuæ quaſi addixerat, non ut imperio cujuſquam Principis obtemperaret, ut (a) Muretus, ſed ipſo Divini Spiritûs impulſu. Omnes Prophetæ Regii Pſalmos latinos fecit, accuratâ verſione, elegantiſſimâ paraphraſi, pleniſ-

(a) *M. Anton. Maret. Hymnor. ſacror. lib. epiſt. ad Guil. Genzaq. Duc. Mant.*

pleniſſimis argumentis illuſtravit: tum etiam omnium pene carminum genere expreſſit, quorum nitorem, elegantiam, majeſtatem nequidem attigére, qui vel illius, vel ſuperioribus ſæculis id negotii ſuſceperunt. Neu quis crederet ſibi potius quam Eccleſiæ conſulere voluiſſe virum pium, qui nihil præter Eccleſiæ commodum ſpirabat, totos centenos, quos Marotus prætermiſerat, Davidis Pſalmos rhythmis gallicis perſecutus eſt. Non eodem certe Spiritu ducebatur purpuratus ille, qui in Pſalmorum (*a*) Davidicorum locum Flacci carmina, atque alia profana laſcivaque Poëmata ſuffecit. Quid de aliis dicam Bezæ carminibus, quibus laudes decantat maximorum, tum in Eccleſiâ, tum in orbe literario virorum, vel homines ad virtutem informat, vel aliam quampiam, quæ Deum ac pietatem ſpectet, materiam exequitur?

(a) *Theod. Beza Hiſt. Eccl. l. 3. p. 215.*

Peſ-

Peſſimè præterea de illo mereremur, ſi mitteremus dicere tanto illum fuiſſe Juvenilium ſuorum Poëmatum horrore perculſum, poſtquam vir factus eſt, ut quicunque rem amatoriam ſapiebant versûs ex Poëmatis ſuis excuſſerit. Versûs dico qui rem amatoriam ſapiebant, ut ne credas eum ſat habuiſſe integra poëmata, quæ Candidæ ſuæ ſacraverat, abjicere. Quidquid ad Venerem torqueri poterat, quidquid redolere protervam adoleſcentum indolem, quidquid lectores à recto dimovere virtutis & Religionis tramite, ne verbulo quidem uno excepto, atroci, ut cum Petronio loquar, ſtylo confodit. Iſtud mecum, vel inviti fatebuntur qui non gravabuntur Theodori Bezæ juvenilia conferre cum variis illius Poëmatis, quæ *ſylvas* complectuntur, *Elegias*, *Epitaphia*, *Epigrammata*, *Iconas*, *Emblemata*, *Catonem Cenſorium Chriſtianum*, *Abrahamum*

bamum ſacrificantem à Joh. Jacomoto latinitate donatum, & *Canticum Canticorum* aptiſſimo carminum genere expreſſum.

Quo fit ut mirari ſatis non poſſim (*a*) Brerlæi impudentiam, qui dicere non erubuit. Bezam ſenem jam factum Berſabæ pulchritudinem iis deſcripſiſſe verſibus, qui ad ciendas amoris flammas ſint maxime comparati. Quid enim videratne varia, quæ modo retuli, Bezæ poëmata? Si viderat, frontem perfricuiſſe oportuit mendaci græculo & quovis Cretenſi mendaciorem Brerlæum, qui id Bezæ adfinxerit crimen, à quo immunem eum fuiſſe perſpicuum omnibus eſt. Si non viderat gnaviter impudens & ignaviter impudens fuit, qui id affirmare adverſus ſenem veneratione dignum auſus fuerit, de quo conſtare ipſi nullo modo poterat.

Nec

(a) *Joann. Brerl. Sacerd Angl. pro Roman. Eccleſ. adverſ. nov. Proteſt. doctrin lib.* 3. *per Guil. Rayn. Th. A. latin. reddit, tractat.* 2. *cap.* 3. *ſect.* 9. *ſubd.* v.

Nec vero tuam hic poſſum omittere, Genebrarde, (*a*) ad Miniſtros Genevenſes admonitionem, ſeu potius famoſiſſimam ſatyram, in qua plenis acerris tuæ litas adverſus Bezam invidiæ, niterisque ineptis illum ex æquo falſiſque obruere criminationibus, dum pro viribus carpis latinam illius Cantici Canticorum paraphraſin. Quid enim fingi poteſt ineptius eo quod dicis, *corruptum in verſu pedem mentem corruptiorem ſequi?* Quid ineptius, quid vanius, quid falſius eo quod fert de vocibus, quas diminutivas grammatici appellant, judicio? *Diminutivè*, inquis, *enunciat Beza, quæ ne per ſuperlationis quidem gradum potuiſſet exprimere, adeo ut tantæ ſponſæ, captatione venereorum vocabulorum, myſteria, arcanas laudes & ornamenta minuat ac elevet.* Diminutiva ſcilicet vocabula venerea ſunt Genebrardo!

(a) *Gisbert. Genebrard. admonit. ad miniſtr. præf. Cantic. Cantic. Salom. verſib. & comment. illuſtriſ.*

nebrardo! Sed operæ pretium eſt videre quibus ille communiat argumentis quam Bezæ intentat horribilem, uti vides, accuſationem. *Verbi gratia*, inquit, bellulam *dicit*, *quæ belliſſima eſt*, venuſtulam, *quæ venuſtiſſima*, amiculam, *quæ amiciſſima*, columbulam, *quæ quantum ad rem ſignificatam eſt columba perfectiſſima*, feſſulam, *quæ ferendis hæreticorum aliorumque impiorum injuriis tota eſt defeſſa.* Quis talia legens temperet à cachinnis? Tuam fidem, Genebrarde? Itane viribus effœta eſt Eccleſia, cui tota incumbit mundi machina? Sed pergamus. Corculum *dicit*, *quæ cor habet patentiſſimum & latiſſimum.* (ô hominem plane excordem) *Ei tribuit* pætulos ocellulos, *cui ſunt oculi caſtiſſimi*, *apertiſſimi & perſpicaciſſimi*, (criticum me Hercle oculatiſſimum) cincinnulos criſpulos, *cui ſunt porrectiſſimi*, *ſimpliciſſimi*, *nullâque arte depravati*, ſinum tenellulum, *cui eſt*

ſoli-

Digitized by Google

ſolidiſſimus. Quod autem eſt profanius, reculas *vocat magnum illud de gentium extremarum ad Evangelium vocatione myſterium.*

Tibine, Caſaubone, tunc notus fuit Genebrardus, cum Longinum auſus es dicere κριτικῶν κριτικώτατον? At enim vero, tute ne tibi bene notus eras, Genebrarde, ne ad alios mea ſe convertat oratio, cum μειωτικαί illas voces tantopere dedignatus deſpicatuſque es? Quid igitur in cauſa fuit ut illarum tibi uſus tam perperam arrideret? Cur Sponſum Cœleſtem diminutivis iſtiuſmodi verbis ſuam alloquentem Sponſam inducis?

Nam (a) *mira verbi ſuavitas*
Tuis labellis inſidet.
Habes (b) *labella gratiæ*
Ad coccinæ vittæ modum.

Secun-

(a) *Cap. 2. v. 14.*
(b) *Cap. 4. v. 3.*

Secundum illam, quam ipſe poſuiſti normam, diminutivum illud labiis Eccleſiæ convenire nullatenus poteſt, quippe quæ longe diſtet à delicatulis femellis, emittatque vocem quæ univerſas permeat mundi plagas. Neque vero ſat habuit orbitio quovis plagoſior Genebrardus voce illa utentem exhibere Eccleſiæ Sponſum. Ipſam quoque Sponſam voluit ejuſdem erroris eſſe conſciam. Ita enim apud illum affatur dilectiſſimum ſuum conjugem:

O! quis (a) *petenti præbeat*
Ut frater effectus mihi,
Sugas labellis dulcia
Meæ parentis ubera?

Deum immortalem! In quas erupiſſet querimonias Genebrardus, ſi Beza Chriſto (*b*) *labella* attribuiſſet, è cujus ore exit ῥομφαία δίστομος apud Johannem Apoſtolum? Sed relinquenda

(a) *Cap.* VIII. *v.* I.
(b) *Apocal.* I. 16.

quenda iſta ſunt Grammaticorum filiis, ut & Phraſes illæ plenæ elegantiarum, *verbi ſuavitas*, *labella gratiæ*, *frater effectus mihi*, aliaque innumera, quæ paſſim occurrunt apud mordaciſſimum illum Scriptorem. Cum ego perſonam Grammatici non ſuſtineam, probare ſat habebo expertem omnino judicii fuiſſe Genebrardum. En tibi iſtius rei luce ipsâ clariora argumenta.

Me (a) *duxit in vinarium*
Conclave, flammulis ibi
Me charitatis imbuit.
Meique (b) *zelus pectoris*
Cujus calentes flammulæ
Ardere vincunt editas
Lataſque moles ignium.

Quis unquam audivit flammulas charitatis, cujus ardentiores ſunt quibuſlibet ignibus flammæ, vehementioreſque? At quis capere valeat flam-

(a) *Cap.* 2. *v.* 4.
(b) *Cap.* VIII. *v.* 7.

Digitized by Google

flammulas, quæ vincant editas lataſque moles ignium? Nonne perinde hoc eſt, ac ſi quis diceret, ingentes flammulas? Aliud accipe exemplum.

En (a) *Salomonis lectulus,*
Quem ſexageni milites
Ex Iſraëlis fortibus
Toris valentes ambiunt.

Papæ! quàm Religioſum ſe præſtat decori obſervatorem Genebrardus! lectulum ille nobis exhibet. Cujus? Anne pauperculi cujuſpiam paralytici ſtipem rogantis in Ponte Milvio, aut in quâdam Probaticæ piſcinæ porticu? neutiquam lectulum Salomonis. Numquid Regum ſplendidiſſimus jacebat in lectulo? At quem præterea lectulum prædicat Gilbertus ille, quem ita afficiunt diminutiva vocabula? lectulum quem ſexaginta fortiſſimi totius Iſraëlis milites ambiunt. Mirum profecto, mi

(a) *Cap. 3. v. 7.*

N. lectulum, præ quo ſordeat quodvis aliud, vel ampliſſimum cubile! Non me fugit uſum illa voce fuiſſe vulgatum, uti vocant, interpretem. Sed parum accurati Interpretis voces adſciſcere Poëtam Hebraïcæ linguæ peritiſſimum, quique diminutiva vocabula tam aperto marte impugnaverat, parum, mea quidem ſententia, decebat. Mitto calumnias non paucas quas in *Bezæ* caput congerit Genebrardus. Fuere enim abundè jam confutatæ. Nec reſponſione ulla dignum judico præcipitem illum ſcriptorem, vehementiſſimumque Bezæ nominis inimicum, ubi cum Viro illo incomparabili agit, tanquam cum imi ſubſellii magiſtello quolibet. Quamplurima alia Genebrardi prætereo quoque Sphalmata. Ex ungue poteris Leonem cognoſcere. Jamque tempus eſt ad Bezam redeundi.

Ne quid ſuæ deeſſet innocentiæ, opprobrium omne longiſſime à ſe depulit

pulit confeſſione, quæ laudem ipſi pariet, quamdiu ſtabunt æqui rerum æſtimatores ac judices, longè majorem dedecore, quod petulantes juvenilis impetûs verſus conflare ipſi potuerant. *Volui autem*, inquit, (*a*) *hoc, quidquid eſt, tuo nomini conſecrare, partim quidem quod æquiſſimum ſit ut ejus agri, quem tu primus ſeviſti fructum percipias, cujuſmodi quidem ex arvo non admodum feraci colligi poteſt: partim vero ut pro meis illis Epigrammatum libellis, quos à me iterum edi volebas hunc infinitis partibus meliorem & ſanctiorem accipias. Quod enim ad illos attinet, quis tandem eos vel priuſquam ego ipſe infelix illorum auctor damnavit, vel magis etiam hodie deteſtatur? Utinam igitur tandem perpetua oblivione ſepeliantur, & mibi, quod ſpero, concedat Dominus ut quandoquidem quod factum eſt infectum fieri nequit, qui deinceps noſtra legent ab illis plurimum diverſa mibi de*

(a) *Epiſt. ad Wolmar. præfix: confeſſ. Chriſt. fid.*

tanto in me Dei beneficio potius gratulari, quàm ſuâ ſponte culpam adoleſcentiæ confitentem & deprecantem accuſare malint.

Quàm aliena ſunt iſta à perditis illis, ſi diis placet, Bezæ noſtri moribus, quos illi, vel ætate confecto, adfingunt nugivenduli Sophiſtæ! Quis non ibi agnoſcat mentem Dei timore, non tinctam modo, ſed plenam? Quis non indolem verè Chriſtianam, quæ poſthabitis omnibus, imo profligatis φιλαυτίας illecebris, Dei gloriæ unicè litat? Plenius illud poterit omnibus innoteſcere ex ingenuæ illius confeſſionis comparatione cum hiſce *Kornmanni* faſtuoſis dicam? an ſcurrilibus verbis, quibus oſtenditur ſuis etiam ineptiis ſavere, nequitiiſque adblandiri viros eruditos poſſe, quibus eruditionis exiſtimatio Religione ipſa antiquior ſit. Ita enim ille ſuum claudit *de linea amoris commentarium: Reſtat ut tres tantum illas*

ſylla-

ſyllabas quas Cajetanus Cardinalis à Luthero olim poſtulavit Re vo co proferam aut ſanè relegam. Verum cum relego, ait quidam, ſcripſiſſe pudet: nam plurima cerno, me quoque qui ſcripſi judice digna legi. *Debuiſſem ſilere potius ut culpâ carerem, quam quicquam edere cujus veniam deprecarer. Quid? Nonne & Horatius? Quid vetera adduco exempla? Nonne & Cynus excellens iſte JCtus literas & carmina amatoria ſcripſit? Quis quæſo expreſſius, & tanquam expertus amator, auctor eſt perquam jucundæ iſtius hiſtoriæ de Lucretia & Euryalo, in omnium penè manibus quæ verſatur? Nonne Æneas iſte Sylvius Picolomineus de Sienis, Imp. Sigiſmundo à ſecretis, qui poſtmodum ad ſummum Pontificatus culmen & faſtigium evectus, Pius II. nominatus? Tum vero, inquies, revocavit, ut patet ex ipſius Apologiâ. Reſp. Et ego ad culmen illud, multum interea aquæ Rhenus lambat, ſuffectus, ex facto infectum, ex ſcripto non ſcriptum reddam.*

Nonne multa Philoſophiæ occultæ ſecreta aperuit Henricus Cornelius Agrippa in libris ſuis de occulta Philoſophia? Aſt & ille, inquias, in aulam Imp. adſcitus revocavit, & quæ in juvenili ætate ſcripſit retractavit? Reſp. & ego ad talem dignitatem ſuffectus tantum apud Imp. Majeſtatem impetrabo ut irrita hæc, & tanquam non ſcripta habeantur nulliuſque cenſeantur valoris. Nec puto me quicquam veritati contrarium, piis auribus abſurdum, aut pudori adverſum ſcripſiſſe. Quod ſi fortean à me factum fuerit, properanti ſtylo currentique calamo, qui ſæpius mentem præcurrere ſolent, imputetur quæſo.

Quoniam autem ad iſtam devenimus Bezæ noſtri confeſſionem, aliam non gravabimur adducere, neque tu fortaſſis legere, quæ ex æquo cum illâ oſtendit quanta fuerit, quamque, ut ita dicam, exceſſa illius ταπεινοφροσύνη. *Audio*, inquit, *non initiatum modo, ſed inſignem Dei Prophetam, & Vi-*

& Virum (a) *ſecundùm cor Domini Davidem clamantem, ne intres in judicium cum ſervo tuo. Audio dicentem Johannem, ſi dixerimus nos peccatum non habere, mendaces ſumus. Et quid attinet alios commemorare? Me miſerrimum flens & gemens agnoſco per quindecim annorum ſpatium, cum aliis per Dei miſericordiam juſtitiæ viam commonſtrarem, nondum ſobrium, nondum liberalem, nondum veracem factum: ſed in luto hærentem, & vix oculos attollentem, uno paſſu à carceribus ad metam progreſſum.*

Si placabiles eſſent Theodori noſtri inimici, placarentur haud dubiè confeſſionibus, quæ placando ſufficiunt Supremo numini: (*b*) Ἐὰν ὁμολογῶμεν τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, inquit delicium Chriſti, πιστός ἐστι καὶ δίκαιος (nim. ὁ θεὸς) ἵνα ἀφῇ ἡμῖν τὰς ἁμαρτίας, καὶ καθαρίσῃ ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἀδικίας.

 Mi-

(a) *Reſponſ. ad Caſtell. defenſ. & reprehenſ. ad defenſ. 3. in 2. Tim. 3. 16.*
(b) 1 *Joh.* 1. 9.

Miram, mi N. Dei bonitatem! *Sicut nihil* apud ipſum (a) *prodeſt male viventi anteactæ vitæ probitas, quia ſuperveniens nequitia juſtitiæ opera delevit: ita nihil officiunt peccata vetera correcto, quia ſuperveniens juſtitia labem vitæ prioris abolevit.* Sed ô rigidum omnino atque immite hominum judicium! Nihil apud ipſos prodeſt correcto ſuperveniens quantalibet juſtitia. Nulla poteſt ad illorum tribunal vitæ prioris tabem abolere in meliorem frugem immutatio. Vix ipſi parcunt infantiæ. Crepundia & poppyſmata tractaſſe grande, ubi placet, habetur piaculum. Et tanquam parum eſſet ipſa quaſi rimari incunabula, multa veris inferciunt mendacia; quodque culpæ vix, ac ne vix quidem habeat ſpeciem in nefandum ſcelus flagitiumque pro libitu convertunt.

Bezæ id noſtro, ſi cui unquam alii, conti-

(a) *Lactant. lib. 6. qui eſt de vero cultu. cap. 24.*

contigit. Tantâ enim adverſus illum flagrant invidiâ nominis illius obtrectatores, ut Candidæ Audebertum adjungant, quo-cum Pathicam exercuiſſe artem ex ambone, coram ignara plebecula, ſubinde declamitent. Quid hic agam neſcio. Doleamne, an reſpondeam? Tuamne, mi Deus! appellem dexteram, quâ improbos illos obruas calumniarum artifices? Anne tuam præcipiti illorum ignorantiæ veniam efflagitem? Huc potius propendet animus, nec ulla adduci ratione poteſt ut ſibi perſuadeat cuivis rationis compoti venire in mentem potuiſſe tam incautum fuiſſe Bezam, tamque ſuæ, non modo exiſtimationi, ſed & vitæ infenſum, ut in ſuum ipſemet caput ferre teſtimonium voluerit, ſuam venditando pæderaſtiam, quæ, cum ipſi, tum ſuo, ſi qui ſuiſſet, Bathyllo certum conſciviſſet exitium. Nec enim cinædis parcere fas & jura ſinunt.

Quandoquidem vero probabilibus uti licet conjecturis, nonne adverſus illum univerſi homines inſurrexiſſent, poſtquam ſuam ipſe promulgaſſet infamiam? Nonne inquiſitum in illum fuiſſet quomodo viveret? Nonne detruſus in carcerem, ibique aſſervatus eſſet, uſque dum ſeſe perpurgaſſet ab eo crimine, cujus ipſe ſuſpicionem in hominum animos injeciſſet? Nonne ſaltem exprobratum illi fuiſſet atrociſſimum illud crimen in Poſſiaceno colloquio, ubi illum inimici ſuos in laqueos tam alacri animo induiſſent? Quâ fronte ſcelus illud exprobraſſet (a) Mureto, ſi illius fuiſſet ipſe conſcius? Quâ audaciâ nullius ſe, præter Candidæ, amore arſiſſe auſus fuiſſet affirmare, ſi tam ſordidæ ſerviiſſet tamque execrandæ libidini? Illud enim de ſe aſſerit Beza, ut modo audies:

Nos

(a) *Poëm. var. Theod. Bez. Epitaph. & hiſt. Eccleſ. l. 4. p. 554.*

Nos (a) vero inſontes jam dicimur exules eſſe;
Quis tamen audivit criminis eſſe reos?
Cujus nocturno turbavi ſomnia cantu?
Cujus ego inveniar vi petiiſſe fores?
Anne ego cujuſquam mœchus connubia læſi?
Candida ſola mea eſt, Candida tota mea eſt.

Teſtimonium illud nunquam ſibi perhibituros fore qui tales revera ſint, (*b*) qualem fuiſſe Bezam contendit nuperus Scriptor, omneſque Bolſeci ſectatores, cordati omnes libentiſſime agnoſcent. Quare ergo, inquies, (*c*) Audebertum illum ſingulari quodam epigrammate anteponit Candidæ, quam tantopere deperibat? Quia ſcilicet, (*d*) cum vir eruditus atque opti-

(a) *Eleg. Non.*
(b) *Hiſt. Calvin lib. 2.*
(c) *Epigr. de ſuâ in candid. & Audebert. benevol.*
(d) *Bez. poëm. var epigr in Romam poëmate Germani Audeberti Aurelii pulcherrimè deſcriptam.*

optimus Poëta eſſet Audebertus, illius conſortium fœmineis amicæ blanditiis antiquius habebat. Atque ita quod in Bezæ opprobrium torquebatur Poëma luculentum præbet illius virtuti teſtimonium. Aliàs etiam (*a*) non ſemel hæſit Beza amicamne, cujus ſpectare formam, amico cujus frui poſſet colloquio, anteponeret. Quendam enim ex ſuis amicis, qui Candidam nigram dixerat, hiſce verbis alloquitur:

Parce tamen, (b) *verbis uti ſi cogor acerbis:*
Hei mihi quod ſic eſt imperioſus amor!
Nunc faveo, Lodoïce, tibi, nunc urit amica,
Et fidei memorem me jubet eſſe meæ.
Utrique eſt juratus amor, Dominæque, tibique;
Nunc

(a) + *Gallic. in Maimb. Calviniſm. obſervat.*
(b) *Eleg. 4.*

Digitized by Google

Nunc Cytheræa Venus, dic mihi, cujus ero?
Cur tranſverſus agor? Duplici cur uror ab igne?
Ah! fuerat nobis unica flamma ſatis.

Palmam quidem refert, poſt ancipitem illam pugnam Candida. Quid mirum? Palmâ ſe indignum præſtiterat Lodoïcus ſuâ adverſus Candidam maledicentiâ. Si quis certe attendat quanta ſit amicitiæ vis, quàmque arcta amicorum, quos irrupta tenet copula, connexio, nîl mirabitur nobilem Bezæ animum indivulſo nexu amicis quibuſdam adhæſiſſe. Atque hoc proculdubio in causâ fuit cur nemo adhuc exſtiterit, qui ſuſpicatus ſit Bezam nefandis cum Truchio, Validoque conjunctum amoribus fuiſſe, licet ſummum in utrumque affectum præ ſe ferat:

Mens ſimplex atque una mihi eſt, hanc attamen unam

Pri-

Pridem (a) *amor in partes juſſit abire duas.*
Atque ait hanc animam diviſam trado duobus,
Dimidiam Truchio, dimidiam Valido.
Salva tamen mens eſt, vivo, ſcriboque loquorque,
Et tamen hæc Validi eſt, & tamen hæc Truchii eſt.
Quodque magis mirum, cum ſit diviſa duobus,
Utrumque integrà diligo amoque animà.

Apage ergo calumniam. Non ſolum amore vetito erga ſuum Audebertum non flagrabat Beza: ſed & ipſam Candidam caſtè amavit. Tantâ ſiquidem tenebatur illius reverentià, ut nihil indecorum præſtare in ipſius conſpectu auſus fuiſſet, ſi qua ipſi de ſe loquenti habenda eſt fides, ut conſtat eſſe habendam:

For-

(a) *Epigr. de Truch. & valido, v. & epigr. de amicit. cum Truch. inita.*

Digitized by Google

Formoſas (a) *videam cum, Candida, ſæpe puellas,*
Sæpe mea eſt, fateor, ſollicitata Venus:
Sed tua, vel peream, caſtum me reddit imago;
Et quamvis cupiam, Candida, nolo tamen.

Quid igitur ſupereſt, niſi ut ex tam multis rationibus tandem inferamus juveniles Bezæ lapſus virilibus ſenilibuſque illius actionibus elutos prorſus & expurgatos fuiſſe; nec minus peccare qui ex poëmatis, quæ ipſe deteſtatus eſt, opprobrii in illum cauſam ſumunt, quàm ſi quis Auguſtini, Hieronymi, Davidis nomen eò laceſſat quod maculis quibuſdam conſperſa nonnulla vitæ illorum pars fuerit? Nondum tamen manum de tabulâ. Ecce enim, memoriam meam ſubit locupletiſſimus & ab omni ſuſpicione alienus teſtis eruditionis, elegantiæ, ſagacis perſpicaciſſimique ingenii Theodori noſtri. En tibi illum. Jeſuitam eſſe non vanâ ſuſpicione ſuſpicantur plurimi. Fac tu igitur vaci-

vas

(a) *Epigr. ad Candid.*

Digitized by Google

vas aures præbeas. Rem enim audies auditu, relatu, ſcitu digniſſimam. *Quam vultis licet ipſi vos ametis* (ita (*a*) Janſenianos alloquitur) *& quàm multis rebus ſimiles aliis novatoribus noſtris ſitis: tamen, ſi quotquot Janſeniani, & Lutetiæ, & circum Lutetiam quaquaverſus, & reliquâ Galliâ ſunt, conferantur in unum, nec ingenio, nec eruditione, nec ſacrarum literarum ſcientiâ, nec Patrum uſu, nec ſolertiâ diſputandi, nec ſcribendi & agendi vi ac dexteritate eritis uni Johanni Calvino, aut uni Theodoro Bezæ unquam pares.* Vale, φίλτατον κάρα, tuiſque me precibus, ut ego te meis, tutelæ Summi numinis commendare porro pergito. L. G. 6. Calend. Sextil. 1682.

(a) *Janſen. ſuſpect. perorat. pag. 229.*

FINIS.

Digitized by Google